

VIII (8). Ceras ex omnium arborum satorumque 18
 floribus confingunt excepta rumice et echinopode
 [herbarum haec genera]. Falso excipitur et spartum,
 quippe cum in Hispania multa in spartariis mella
 herbam eam sapiant. Falso et oleas excipi arbitror,
 quippe oliuae prouentu plurima examina gigni cer-
 tum est. Fructibus nullis nocetur; mortuis ne floribus
 quidem, non modo corporibus, insidunt. Operan- 19
 tur intra LX p., et subinde consumptis in proximo
 floribus speculatores ad pabula ulteriora mittunt.
 Noctu deprehensae in expeditione excubant supinae,
 ut alas a rore protegant.

IX (9). Ne quis miretur amore earum captos, Aris-
 tomachum Solensem duodesexaginta annis nihil
 aliud egisse, *Philiscum* uero Thasium in desertis apes
 colentem *Agrium* cognominatum, qui ambo scripsere
 de iis.

X (10). Ratio operis haec: interdiu statio ad portas 20
 more castrorum, quies in matutinum, donec una
 excitet gemino aut triplici bombo ut bucino aliquo.
 Tunc uniuersae prouolant, si dies mitis futurus est.
 Praediinant enim uentos imbresque, et <tunc> se
 continent tectis; itaque temperie caeli *signum* hoc
 inter praescita habent. Cum agmen ad opera processit,
 aliae flores adgerunt pedibus, aliae aquam ore guttas-
 que lanugine totius corporis. Quibus est earum adu- 21